

XVIII PETRI BEMBI

gium legeret, (a) occurrit in primis homini Bembus: is forte Venetiis erat. Gaudio, gaudio, optima post homines natos, atque amplissima civitas, cum investigaretur perquirereturque virtus, ad te iterum potissimum ventum esse. etenim cum bonorum, prudentiumque hominum res Christiana publica egeret, (b) sumpserat a te scilicet, jam antea, Gasparem illum Contarenum, Italicu nominis lumen; in quo, cum summa probitas, castimonia, moderatio, prudentia cum summa doctrina atque eruditio contendere, ejus ipsius insignita pietate ac religione longe eae laudes omnes vincebantur: ergo de tua magnorum virorum copia bis suppeditatum paucis annis rei Christianae communi est: semel in Contareno; iterum in Bembo. (c) Ad eum cum Pauli missu Carolus Gualterutius Fanensis, vir apprime bonus, natusque & industrius, venisset cum diplomate, cumque ejus dignitatis insigniis, ille enimvero recusare ac deprecari, neque abduci, nunc demum aetate confecta, pati se posse dicere, a quiete ac solitudine illa, quam unam, rerum omnium jucundissimam, antiquissimamque, jam inde a prima adolescentia habuisset; magnas tamen sese Pontifici, magnas collegio gratias agere atque habere; quod senectutem suam honorificentissimo de se judicio, clarissimoque decreto tantopere honestatam voluisse. cum in eo, multos jam dies, perseveraret, neque de sententia depelli posse videretur, nihil proprius factum est, quam, ut Romam Gualterutius, re infecta, reverteretur. Non sum nescius multos fore, qui nostrae orationi hac in re parum fidei habeant. plerique enim omnes, quid de aliena voluntate credendum sit, de sua conjecturam faciunt: itaque incredibile multis visum iri intelligo, Bembum id vere atque ex animo aspernatum esse, quod omnes, fere summa cupiditate, expetendum atque optabile esse existimant; tametsi scribimus hac recenti hujus facti memoria, multisque, qui in agendo adfuerunt, superstitibus, quos, mendacii atque impudentiae nostrae conscos ac testes, habere, cur velimus, causa nulla est. Sed quoniam par eorum peccatum esse censemus, qui mentiri in historia audent, atque eorum, qui dicere verum reformidant, mendacii speciem, verum cum dicturi essemus, non horruimus. Erat per invidiosum futurum, respui tantam dignitatem, praesertim quae non honoris modo splendorem, sed etiam muneris

(a) occurrit in primis homini Bembus) Cum Paullus quinto Cardinales cooptaret XIII. kal. januar. anno M. D. XXXVIII. inter ceteros creatus est Bembus, qui tamen tantum insequebatur anno VIII. kal. april. renunciatus est.

(b) sumpserat jam antea Gasparem illum Contarenum) Inter Cardinales adscitus fuerat Contarenus a Paullo anno M. D. XXXV. XIII. kal. jun. altera Cardinalium creatione.

(c) Ad eum cum Pauli missu Carolus Gualterutius Fanensis, &c.) Assentiri haud possunt Casae afferenti, Gualterutium Venetias adventasse, ut pontificium diploma & rubrum biretum, quod vocant, Bembo deferret. Hac de re ne verbum quidem in Bembi epistolis: quin ex iisdem saepius appetet, Roniae id temporis Gualterutum substitisse, &, si quid illic novi, id cum amico per literas communicasse. Praeterea hoc in more postum novinus, ut novis Cardinalibus numquam per privatos homines, qualis erat Gualterutius, sed per aulae Romanae Praelatos ea dignitatis insignia deferantur. Sed quid opus pluribus? Octavianum Zenum, qui erat a cubiculo honorario Pontificis, ad hoc missum esse certum est, cum ex literis (Vol. I. lib. III.) datis ad Cardinalem Farnesum prid. kal. april. anno M. D. XXVIII. tum maxime ex eucharistica epistola (lib. VI. Fam.) eodem anno eodemque die ad Paullum Pontificem misso: Quod me in amplissimum Romanae reipublicas Cardinalium collegium, nibil ejusmodi petentem, sponte tua cooptaveris: quodque Octavianum Zenum, familiarem a cubiculo tuum, ejus rei numerum, cum literis humanissimis honorificentissimisque scriptis, cumque priore capituli tegumento purpureo sacroque, magnis iuineribus ad me miseris, immortales gratias habeo, habeboque, dum vivam.

(a) ubi